



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 46. Henrici IV. Galliarum Regis edicta adversus divini nominis
prophanatores, & Duellantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. num in Ecclesia Evangelica vigeant. Scri-
 A. C. 1609. psit etiam disputationes de Theologia, de
 S. Scriptura, de SS. Trinitate, de certitudi-
 dine & Ordine patefactionis veri Dei in Ver-
 bo suo. Huic adjungimus Martinum
 Czechovicium secta Socinianum in Li-
 thuania natum, qui primo Vilmæ postea
 Lublini hæresis suæ Præco hoc anno
 animam expavit. Edidit *Synopsin justifi-*
cationis nostræ per Christum, & libros de
authoritate Sacræ Scripturæ, & de Pædo-
baptistarum origine &c.

§. XLVI.

*Henrici IV. Galliarum Regis editæ
 adversus Divini nominis prophana-
 tores & Duellantes.*

*Contin.
 Thuan. par
 Nicol. Re-
 gault. l. 2.
 Serran.
 Franc. Hist.
 pag. 863.*

Ineunte hoc anno supra millesimum
 sexcentesimo nono Henricus IV. Fran-
 ciæ Rex non minus armis potens, quam
 Religionis studio ardens salutarem ad-
 modum legem adversus Blasphemos
 edidit; cum enim comperisset, quod
 nonnulli Sanctissimum Dei nomen per-
 summam contumeliam, horrendasque
 dejerationes passim prophanare non e-
 rubescerent, ad reprimendam detestabi-
 bilem hanc licentiam primo leges pœ-
 nasque ab Henrico II. & Carolo IX. ex
 de re latas innovabat, ac insuper die
 sexta Januarii indicta capitali pœna in-
 hibebat

hibebat, ne quis cujuscunque status vel Sæc. XVII.
 conditionis sit, vel Dei aut Deiparæ aut A. C. 1609.
 aliorum Sanctorum nomen scelestâ lin-
 gua violare præsumeret, dato etiam Re-
 giis Ministris mandato, ut in crimine
 deprehensos statim iudicio sisti curarent;
 Nec huic mandato ubique promulgato
 executionis vigor deerat: eodem enim
 adhuc mense Nicolaus Meleus de hoc
 scelere convictus interula duntaxat in-
 datus; e carcere ad Templi fores dedu-
 cebatur, ac cereum bilibrem manu te-
 nens, ibi in genua prolapsus publice
 culpam fateri jubebatur, postea lingua
 ejus candenti ferro transfixa, ac utrum-
 que labium scissum est, ipse vero ex uni-
 verso Regno proscribatur, commina-
 tione facta, quod si evolutis quatuor-
 decim diebus in Francia deprehende-
 retur, patibulo affigendus esset.

Cum autem nec Regis auctoritas
 nec legum severitas inhumanam, qua
 Nobiles mutua ad cædes provocatione
 ad singulare certamen concurrerant, li-
 centiam nondum refrænasset, idem Rex
 hujus anni Mense Junio edictum suum,
 quod septem abhinc annis ea de re con-
 diderat, innovans, severiori adhuc de-
 creto inhibuit, ne quis honorem suum
 duello defendere auderet, provocatus
 autem satellitio custodiretur, si vero in-
 juria adeo atrox foret, ut læsus honor

Sæc. XVII. non nisi armis resarciri valeret, tunc
 A. C. 1609. Rex cognita causa vel per se vel per
 suos Ministros de remedio prospecturus
 esset: de cetero tam provocans, quam
 provocationem acceptans Nobilitatis in-
 signibus graduque deicerentur, ipsis ad
 perpetuos carceres, vel infame suppli-
 cium condemnatis, ac dimidia bono-
 rum parte ærario addicta. Præterea
 Rex tremendo sane jurejurando sese ob-
 strinxerat, quod novæ hujus legis trans-
 gressoribus nunquam veniæ gratiam, ne
 ipsa etiam Regina deprecante, conce-
 furus esset: Hoc edictum die vigesima
 sexta Junii in Curia tabulas redactum
 est. Observandum tamen, quod eadem
 lex ejusmodi verbis concepta fuerit,
 quibus insinuari videtur, quasdam dari
 injurias, quas magis privata vi, quam
 justitiæ remediis ulcisci expediret; cum
 tamen omnes ejusmodi privatæ violen-
 tiæ semper legum sanctitati, ac justitiæ
 firmitati adversentur. Præterea ad
 præcavendas cædes Rex undecima Se-
 ptembris die omnibus & singulis lata
 lege interdixit, ne quis sclopos mino-
 res clam vel palam emerent, aut pe-
 nes se haberent, aut opifices confice-
 rent, vel Mercatores eos venderent.

Sæc. XVII.
A. C. 1609.

§. XLVII.

Ordinum Bohemicorum comitia Pragæ habita in causa Religionis.

Interim Protestantes in comitiis, quæ vigesima octava Januarii die a Bohemix Ordinibus Pragæ fuerunt inchoata, sectæ suæ in universo Regno profitendæ libertatem ab Imperatore sibi concedi omnibus modis postulabant, asserentes, sibi a Maximiliano Cæsare anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto datam fuisse fidem, quod non permittere velit, ut alicui in Bohemix Regno vis aliqua ob Religionis & conscientix causam inferretur. Ast Rudolphus, qui nec Patris sui sponsione per vim extorta, nec periculosa ejusdem indulgentia ad prodendam Dei & Ecclesiæ causam se adstringi censebat, occluso scripto eis hunc in modum respondit: „nihil vobis in Religionis negotio salva conscientia indulgere, ac „permittere valeo, spero igitur, vos veteribus pactis longo usu ac tempore receptis acquieturos: Sacerdotes tamen, „qui vobis cœnam sub utraque specie tribuant, a Pragensi Archiepiscopo constitui indulgeo, liceat quoque vobis „mortuos vestros ad campanæ pulsam sepelire, Piccardiautem, quorum secta „in

Mers. Gallo-belg. annal. tom. 6. l. 3. Contin. Chytræ p. 159. Calmet. hist. univers. l. 150. Caraf. Com. de Germ. pag. 41.